

- noviter deductis recessit ead. Sac. Cong. Conc. à decisi-  
sis in *Guardien. die 14. Nov. 1739.*
- 156 \* Episcopo non prohibetur quidem bis quotannis  
diocesim suam visitare, sed non nisi unicam tantum-  
modo per annos singulos procuratorem exigere potest,  
ut ex pluribus Sac. Congregationis decretis de *synodo*  
*diac. lib. 7. cap. 53. §. 5.*
- 157 Episcopi omnes ex vi constitutionis *Romanus Pontifex*  
à Sixto V. editæ, antequam consecratur, si Romæ  
existant, in manibus S. Rom. Ecclesiæ primi Diaconi  
Cardinalis, extra Curiam vero in manu Antistitis ad hoc  
delegati ex formula præscripta, jurant se statis tempo-  
ribus limina Sanctorum Apostolorum visitaturos per se,  
sive legitime impeditos per aliquem è suo Capitulo, vel  
alium in dignitate ecclesiastica constitutum, vel benefi-  
cio præditum, & si hi defuerint, per Sacerdotem ali-  
quem diocesannum secularem, vel Regularem.
- 158 Tunc autem Romano Pontifici rationem reddere  
tenentur de Pastoralis Officio impleto, & iis omnibus,  
quæ ad suam diocesim pertinent. Sacre autem Con-  
gregationis Concilii injunctum est munus, ut postulata  
Episcoporum illorum discutiat & det illis responsa, si-  
cuti, & videndi num legitime sint impediti. *Ibid. lib. 16.*  
*cap. 6. §. 11. Novæ edit.*
- 159 Tempus, intra quod obeunda est ista visitatio, aliis  
quidem longius definitum est, aliis brevius, sed non  
minus quam triennium, nec supra quadriennium. *Ibid.*  
*§. 3.* Porro si Episcopus habeat Coadjutorem ab Apo-  
stolica Sede datum, sufficit si Coadjutor nomine Epis-  
copi adeat, sicut etiam sufficit si mittatur administrator  
episcopatus, qui debet visitare limina suo, & principa-  
lis sui nomine, ut ex decretis à S. Congr. *ibid. §. 5.*
- 160 Id etiam præstandum est ab Episcopo titulari, ut  
ex Fagnano, aliisque probatur *ibid. §. 5.*
- 161 Denique nec eximuntur Episcopi Ecclesiarum sub-  
urbicarum, quamvis exempti sunt à residentia. Ita  
ex decreto *Consistorialis Alexandri VII. Ibid. §. 6.*
- 162 \* Gravissima hic se offert questio, an ex Concilio  
Tridentino *sess. 24. cap. 9. de Reformat.* Loca nullius  
diocesis visitari queant ab Episcopo quâ Apostolico  
delegato, cujus Cathedralis Ecclesia est proximior.
- 163 Una omnium sententia est, Ecclesias nullius Regu-  
lares visitari haud posse. At quoad Ecclesias nullius  
seculares, sunt qui distinguunt inter Ecclesias *Nullius*  
proprie, ut sunt jam à diocesi separatæ, in quibus  
Prælati inferior habet omnimodam quasi Episcopalem  
jurisdictionem, & Ecclesias *Nullius* improprie, ut sunt  
positæ intra fines diocesis, in quibus Prælati inferior  
habet quasi episcopalem jurisdictionem, sed non omni-  
modam. Visitari autem posse illas negant, hæc ve-  
ro affirmant *Ciarlin. contrav. 67. num. 25. lib. 1. & con-  
trov. 22. num. 112. & seq. lib. 2. Ros. de residen. Epis-  
cop. cap. 4. sect. 6. num. 483. & sequent. Crispin. de vi-  
sitat. part. 1. §. 23. num. 40. Manent. de potest. Episcop-  
pal. part. 3. cap. 6. num. 2.*
- 165 Alii absolute affirmant jus esse Episcopo ex mox  
citata Conciliari sanctione visitandi Ecclesias nullius  
etiam proprie; Fagnan. in cap. Grave num. 21. de Of-  
fic. Ordinar. Barbos. ad Concil. Trident. d. sess. 24. dist.  
cap. 9. num. 2. & seq. de Reformat. clar. mem. Cardin-  
al. Petra in commentar. ad constitut. Apostol. contr. 4.  
Calixti III. num. 141. & sequent. alique. Et huic opi-  
nioni videtur adhasisse Rotam in *Nolana Beneficiorum*  
*25. Junii 1759. cor. Rev. P. D. Parracciano Decano.*
- 166 Mihi autem magis ardet prior opinio distinguens  
Ecclesias *Nullius* proprie inter ac *Nullius* improprie.  
Hujusque opinionis plures, eæque solidæ & inelucta-  
biles asseri possent rationes, sed ea hic sufficiat, quæ  
ex ipsis verbis Concilii Tridentini dist. sess. 24. dist.  
cap. 9. de Reformat. desumitur. Verba sunt: *Que alias*  
*&c. de adhibenda ab Ordinariis diligentia in Beneficiorum*  
*etiam exemptorum visitatione constituta sunt, eadem etiam*  
*in illis Ecclesiis. Secularibus observantur, quæ in Nullius*  
*diocesi esse dicuntur, ut ab Episcopo cujus Cathedralis*  
*est proximior visitentur.* Satis enim hinc patet, quod  
Concilium Tridentinum de Ecclesiis loquitur non quæ  
vere & proprie *Nullius* sunt. Si enim loqueretur de Ec-

clesiis, quæ vere, & proprie sunt *Nullius*, inquisisset  
non in *NULLIUS* DIOECESI EXISTUNT, nam aliud  
est EXISTERE IN *NULLIUS* DIOECESI, aliud in  
*NULLIUS* DIOECESI DICI, denotatque primum  
PROPRIETATEM, ac VERITATEM, secundum ve-  
ro IMPROPRIETATEM, ET ABUSUM, ut monet  
*Rebuff. in Leg. 3. §. Ejus qui, ff. de Verbor. sign.*  
Quid plura? Satis esse debet ea qui in S. Congreg.  
Episcoporum, & Regularium negotiis præposita, tum  
in altera Concilii interprete obtinet praxis committen-  
di quandoque Episcopo viciniore, ut visitet loca hæc  
vere, & proprie *Nullius*, in quibus Inferior Prælati  
habet omnimodam jurisdictionem quasi episcopalem ad  
trames facultatum ipsi communicatarum, ut testatur  
Cardinalis de Luca in *adnot. ad Concil. Tridentin. dis-  
curs. 15. num. 10. Crispin. de Visitat. part. 1. §. 13.*  
num. 40. Quomodo enim asseri potest, Concilium Tri-  
dentinum Episcopo viciniore quâ delegato Apostolico  
potestatem fecisse visitandi mox dicta loca, si viciniore  
Episcopus visitare ea nequit jure suo, sed opus habet  
missione alterutius Sac. Congr. nec transilire valet  
limites facultatum ipsi communicatarum?

Quod vero attinet ad decisionem Rotæ in *Nolana*  
*beneficiorum 25. Junii 1759. coram Reverendiss. P. D.*  
*Parracciano Decano*, satis esset, quod ea est contumacia-  
lis; Sed accedit hoc amplius, quod denuo proposi-  
ta causa die 3. Martii 1760. cor. eodem Sacro Tribu-  
nali, nil definire voluit de hoc articulo; Confer hanc  
decisionem.

VITA COMMUNIS.

Vita communis in primitiva Ecclesia servabatur ab  
omnibus fidelibus, quorum erat cor unum, & anima  
una, & illis erat omnia communia, ut expresse habetur  
Apost. cap. 4. num. 32. ibi: *Multitudinis autem cre-  
dentium erat cor unum, & anima una, nec quicquam eo-  
rum quæ possidebat aliquid suum esse dicebat, sed erant  
illi omnia communia.* Primi enim illi fideles possessiones,  
& substantias suas vendebant, & dividebant illa  
omnibus, prout coique opus erat, & ut ab Apostolis  
disponeretur, nihil proprii sibi retinentes, & omnia  
communis habentes. Apost. cap. 11. num. 44. & 45. ibi:  
*Omnes etiam, qui credabant, erant pariter, & habebant  
omnia communia. Possessiones, & substantias vendebant,  
& dividebant illa omnibus, prout coique opus erat.* Et id  
totum refertur in cap. Dilectissimis 2. & cap. Simus 9.  
caus. 12. quest. 1. ibi: *Scimus vos non ignorare, quod  
hactenus vita communis inter omnes Christianos viguit.*

Hoc vite communis genus trigentesimo Laicorum  
fervore in Clericis continuavit, ex quo nomen Cano-  
nicorum effluxit promiscue à Clericis usurpatum: Can-  
onici etenim dicuntur Clerici in fraternitate, prout  
certe erant omnes Clerici in primitiva illa Ecclesia, ut  
erudite more suo observat Eminentissimus Petra tom. 1.  
Comment. ad constitut. 2. Paschalis II. num. 3. cum ip-  
sis esset præceptum, ut districte, ac canonice viverent,  
prout habetur in cap. Quoniam 14. caus. 12. quest. 1.  
in cujus Summario sic præcisè dicitur: *Diaconi, vel  
qualibet Religiose persona Regularem vitam ducere co-  
gantur.* Canon enim Græcè, Latine Regula nuncupatur,  
textu expresso in cap. Canon 1. dist. 3. Unde S. Dio-  
nysius Cartusianus tract. de vita Canonicali, sic expresse  
dicit: *Clerici vocantur Canonici, quoniam Regularem,  
& rectam tenentur ducere vitam, vitiorumque obligatio-  
nes vitando, sinceriter gradari juxta præfixa eis à sanctis  
Patribus instituta.*

Reservatus tamen exinde fuit talis vivendi usus  
apud Clerum Ecclesiarum Cathedralium una cum Epis-  
copo vitam ducentem communem in claustris prope  
Ecclesias constructis. Sic expresse d. Card. Petra loc.  
cit. num. 4. & clare habetur ex cap. Necessaria 3. cit.  
caus. 12. quest. 1. ibi: *Necessaria etenim res exstitit,  
juxta Ecclesiarum claustra constituantur, in quibus Clerici*

disciplinis ecclesiasticis vacent, utque omnibus unum sit  
Refectorium, ac Dormitorium, seu cetera officina ad usus  
Clericorum necessaria; Ministri vero post Episcopum  
super eos eligantur, & cap. Certe 18. ead. caus. & q.  
ubi refertur S. Augustinus sic loquens: *Certe Ego sum,  
qui statueram nullum ordinare Clericum, nisi qui mecum  
vellet manere.*

Collabescente tamen fere apud omnes hoc pio, &  
sancto communiter vivendi Instituto, plurimi Sancti  
Patres, Patriarchæ, & Fundatores afflati Sancto Spi-  
ritu varias instituere Religiones, assignatis, ac tradi-  
tis suis Alumnis peculiaribus Regulis, sub quarum ob-  
servantia in perfecta, & exacta vita communi magis,  
ac magis in studio virtutum in dies proficerent; sicque  
collapsa Apostolica vite communis forma, ac Regula  
in pristinum restitueretur, ut restituta, ac per uni-  
versum Orbem diffusa speciemina virtutum, ac maxi-  
ma sanctitatis incrementa Regularibus claustris quoti-  
die progignens Deo dante conspiceretur.

Hinc omnes Regularis utriusque sexus tenentur ad  
perfectam, & exactam vitam communem in omnibus,  
& per omnia, & ad observantiam Regulæ secundum  
suam primævam institutionem, textu expresso in Con-  
cil. Trid. sess. 25. de Regularibus cap. Cum causam 27.  
de Election. cap. Ad Nostram 3. de appellat. cap. Super  
eo 9. & cap. Ex parte 29. de Regularib. cap. Recolentes  
3. & cap. Ea quæ 8. de statu Monachor. Conc. Medi-  
olanen. part. 3. tit. de com. Vit. usu, ubi loquens de  
Monialibus sic statuit: *In omnibus monasteriis quoad ci-  
tium, potum, somnum, vestitum, ceterasque res attingit,  
omnes communiter vivant, ut à Sancto Concilio Triden-  
tino decretum est.* Et Conc. Cameracen. tit. de Monach.  
cap. 9. & 10. sic habet: *Cum Sacrosancta Synodus Tri-  
dentina præceperit ea, quæ ad communem vitam, victum,  
& vestitum pertinent, fideliter observari, mandat hæc  
Synodus omnibus Religiosis, ut diligentissime paupertatis  
votum, tamquam ineffabilem cuiusdam, & dulcissimam  
quietis causam custodiant, neque proprietatis vitio vio-  
lent: caveant igitur, ne quid sibi ipsi retineant, vel re-  
tinere deciderint, ut Communitati nolint esse commune, ne-  
que ad peculiarem usum eo utantur sine Superioris consen-  
su.* Sicque expresse statuit Clemens VIII. in decretis pro  
reformatione Regularium, allatis sub verb. *Regulares*  
art. 1. num. 85. & confirmatis à Sac. Congr. Concil.  
jussu Urbani VIII. in decretis de Apostatis, & Ejectis,  
allatis sub verb. Ejecti num. 2. & sic expresse sæpe sæpe  
decreverunt variæ Sacre Congregationes.

Unde si alicubi non ita exacte, & perfecte observa-  
tur dicta vita communis, esset à Superioribus om-  
nino præcipienda, & introducenda, & à Subditis promp-  
te, & integre observanda, prout expresse mandant  
Summi Pontifices, Concilia, ac Sacre Congregationes.  
Et subditi recusantes vitam communem, cum Superio-  
res illam erigere, & introducere, prout debent, vo-  
lunt, peccant mortaliter. Mastrius theol. mor. disp. 4.  
num. 46. S. Antonin. part. 3. Summa tit. 16. §. 11. de  
Pauperi. Donatus prax. rer. Regul. tom. 4. tract. 15.  
quest. 5. cum aliis citatis; Felix Potest. tom. 1. part. 2.  
num. 1087. testans de communi. Et ratio manifesta,  
& insolubilis est, quia Regularis utriusque sexus re-  
cipiens, & retinens aliquid notabile independentè à  
voluntate Superioris, peccat mortaliter contra votum  
Paupertatis, sed Regularis utriusque sexus recusans  
vitam communem juxta formam Tridentini, Decretor.  
Clement. VIII. pro reformatione Regularium, ac con-  
stitutionum aliorum Summorum Pontificum, signanter  
Innoc. XII. in decretis à Sac. Congr. super disciplina  
Regulari de ejus mandato, & auctoritate editis (ubi  
confirmantur, & innovantur decreta Conc. Trid. Cle-  
ment. VIII. ac aliorum Summorum Pontificum ad id  
edita, ut patet infra sub num. 12. ubi adducuntur) Su-  
periore volente illam erigere, recipit, & retinet inde-  
pendenter à voluntate Superioris, immo contra ejus  
voluntatem; ergo peccat mortaliter contra votum Pau-  
peratis. Major est certissima ex abunde adductis sub  
verb. *Votum art. 2. d. num. 43.* Minor autem est omni-  
no evidens, quia vita communis præscripta à Trid.

sess. 25. de Regular. cap. 2. & à Clem. VIII. in cir-  
Decr. pro reform. Regular. incip. *Nullus omnium §. 3.*  
& confirmata à supradictis Summ. Pont. est, ut quid-  
quid Regularis utriusque sexus quovis modo acquirat,  
nullimode retineat apud se, & pro se, neque nomine  
monasterii, sed statim Superiori fideliter, & omnino  
tradat, & cum aliis Monasterii bonis, pecuniis, &  
proventibus incorporetur, ut inde ex communi massa  
singulis in vita communi necessaria subministrare possit.  
Id autem totum vult Superior intendens vitam  
communem juxta supradictam præscriptam formam  
exigere, adeoque Regulares utriusque sexus recusantes  
vitam communem, quam, ut debet, vult Superior  
introducere, recipiunt, & retinent à se acquisita inde-  
pendenter à voluntate superioris, immo contra ejus  
voluntatem, cum Superior velit, ut Subditi non re-  
tineant, sed statim acquisita incorporanda consignet, &  
subditi nolint, & recusent ea Superiori tradere incor-  
poranda, quod est expresse contravenire voto Pauper-  
tatis. Unde nec Superiores sunt in securo conscientie  
statu, si in quantum possunt, absque gravi scandalo  
non curant vitam communem erigere, nec subditi re-  
cusantes illam recipere.

Nec juvat ad excusandas excusationes in peccatis  
allegare consuetudinem in contrarium repertam à pri-  
mo ingressu in Religionem, quia Summi Pontifices, &  
Sacre Congreg. semper statuerunt teneri Regulares  
utriusque sexus ad exactam vitam communem, & Regu-  
larè observantiam, non obstante contraria consuetudine,  
& introducta relaxatione, ut patet ex abunde adduc-  
tis verb. *Regulares art. 1. d. num. 73. & verb. Monia-  
les art. 2. d. num. 62. & signanter num. 81.* ubi inter  
alias refertur ex *Ursaya tom. 3. part. 1. discept. 1. §. 13.*  
una Sacre Congreg. ad id emanata Declaratio 12.  
Febr. 1678. approbata ab Innocentio XI. cum additis  
*Che si levi ogni altro abuso introdotto contro le buone Re-  
gole Monastiche, è massime quelle di aver trovato tal  
forma di vivere, è tali abusi nel tempo del loro ingresso  
nel Monastero, qui Ursaya loc. cit. merito proinde con-  
cludit cum doctissimo Episcopo Crispin. nella Vita  
Pastorale part. 2. §. 42. num. 39. in medio, quod in his  
terminis à Monialibus, & Regularibus inalleghis est  
usus in contrarium attento dicto Oraculo Pontificio,  
& resolutione dictæ Sacre Congreg. & Donat. prax.  
rer. Regul. tom. 4. tract. 15. de voto paupertatis. quest. 5.  
num. 3. & 4. ad Fontan. ad Constitut. Ordinis Predica-  
tor. verb. Professio num. 11. fol. 530. dicunt expresse:  
Ex clara dispositione Capituli generalis Pastiit celebrati  
anno 1611. admoniti. 3. utriusque sexus Regulares viven-  
tes sub Habitu S. P. Dominici tenentur ad observantiam  
Regulæ, & constitutionum nostrarum, non prout hic, vel  
ibi servatur, sed simpliciter, pro ut littera sonat. Et ra-  
tio est clara, quia ut recte dicunt Fagnanus in cap. Re-  
colentes 3. de statu Monachor. num. 6. Summa Asten-  
tit. 47. de Regularib. art. 3. in 7. quest. & alii plures  
Proficientes profitentur Regulam, non consuetudinem,  
nec relaxationem, immo ad id expressam faciunt pro-  
testationem, adeoque ad regulæ, & vite communis  
observantiam tenentur, & compelli possunt, non ob-  
stante contraria consuetudine, & introducta relaxatio-  
ne. Tum quia neque possunt excusari per hoc, quod  
sub tali contraria consuetudine professionem emisissent,  
quia Regulares utriusque sexus per votum paupertatis  
in sua Professione emisissim virtualiter voverunt *Vitam*  
*communem à Tridentino, & Summis Pontificibus præ-  
scriptam*, Superiore illam conservare, aut erigere vo-  
lente: Voverunt enim nihil retinere, invito Superiore,  
sed omnino dependentes ab ejus voluntate, cum hoc  
sit essentia voti paupertatis, adeoque virtualiter vove-  
runt ei statim tradere omnia ab ipsis quovis modo ac-  
quisita, Superiore id præcipiente, aliàs retinere contra  
expressam voluntatem Superioris, & sic peccarent  
contra votum paupertatis; Tum etiam quia contra Re-  
gulam approbatam à S. Sede, prout includit tria vota  
substantialia Religionis, quæ sunt de Jure divino, non  
est locus consuetudini, quamvis foret contraria & im-  
memorabilis, ex quo consuetudo Jus divinum auferre  
non*



non possit, textu expresso in cap. Cum tanto 11. de consuetudine; cum potius, & verius ut ibi dicitur, ipsa in hac parte dicenda sit corruptela, quam consuetudo. Sic Graffius 2. part. decr. aur. lib. 3. cap. 9. numer. 4. Tapia in Authent. Ingressi cap. 3. num. 55. Calder. tot. consil. de consuetudine, Donat. loc. cit. quest. 5. num. 2. ubi cum aliis dicit, quod resistentes sunt valde punibiles, ex quo resistent expressa voluntati Superioris iubentis secundum Regulam, ut docent scribentes in cap. Non dicatis caus. 12. quest. 1. & in cap. Cum ad monasterium 6. de statu Monachor. Navarr. consil. 75. de Regul. num. 49. & est Communis.

9. Nec etiam eos omnino excusat ab obligatione servandi vitam communem monasteriorum inopia, ut solide, ac fute probat Ramirez Episcopus in sua questione moralis §. 6. citatus, & secutus a Felice Potest. loc. cit. num. 1092. & tenent plurimi alii: Et ratio est, quia singuli huiusmodi monasteriorum Regulares non servant vitam communem de facto habent sibi necessaria juxta decentiam status; sed talia sibi necessaria juxta decentiam status habent, etiam si servarent vitam communem, ergo &c. Major patet. Minor probatur, quia singuli huiusmodi monasteriorum Religiosi non aliunde habent sibi necessaria juxta decentiam status, quam ex iis, quae partim habent à monasterio, & partim suo labore, & industria & à propinquis, vel amicis acquirunt: sed haec omnia habent, si servarent vitam communem, & omnia fideliter Superiori traderent cum aliis monasterii proventibus incorporanda, ut ex Concilio Trid. & citatis constitutionibus, & decretis Pontificis stricte tenentur: ergo si talia sufficiunt non servando vitam communem, ut singuli vivant, & sibi necessaria habeant juxta decentiam status, etiam sufficerent, & à fortiori servando vitam communem, quia tunc non ferebant tot superfluae expensae in tot multiplicatis utensilibus, aliisque similibus, quae extra vitam communem multiplicantur ad numerum Religiosorum, ac praesertim Monialium, & in communi vita fere pro tota communitate sufficeret, quare si in unum coalescerent, certe haberent, unde commodius, & abundantius viverent. Hinc nulla remanet quantum ad hoc excusatio pro Regularibus utriusque sexus vitam communem recusantibus, cum potius videantur id agere ut superfluis abundent, & liberius pro sua voluntate contra paupertatis, & obedientiae votum disponant, quam quia eis inde necessaria juxta decentiam status desint. Deh caveant, ne sint ex illis, quos merito arguit S. Bernardus serm. 4. de Adventu, ibi: Sunt qui pauperes esse volunt eo tantum pacto, ut nihil eis desit, & sic diligunt paupertatem, ut nullam inopiam patiantur. Ad quid paupertatem vivere?

10. Propterea Regularibus renuentibus reformationem indicam quoad vitam communem, & Regulam observantiam recipere, & integre observare, solet Sedes Apostolica interdiceret, & denegare licentiam recipiendi, & admittendi aliquos ad habitum, & professionem, ut patet ex decretis Clementis VIII. allegatis in verb. Regulares art. 1. sub num. 72. §. Item bis quotannis, & num. 78. & const. Innocent. X. incip. Inter cetera: & pluribus aliis Decretis Sacrarum Cong.

11. Et talis licentia admittendi alios ad habitum, & professionem, non solet concedi, nisi in Conventibus designatis, & à Sede Apostolica approbatis, in quibus vita communis, & Regula exacte, & integre observetur, prout patet in citatis decretis Clementis VIII. & decretis Sacrae Congreg. super disciplina Regulari jussu Innocentii XII. editis, quae hic ad litteram dantur.

12. Decreta Sacrae Congregationis à Sanctissimo Domino nostro Innocentio PP. XII. super disciplina Regulari specialiter deputata, ejusdem SS. D. N. auctoritate edita.

Sanctissimus in Christo Pater, & D. N. Innocentius Divina Providentia Papa XII. pro Paterna charitate, qua Religiosos Oadines multis, magnisque in Ecclesiam Dei meritis refulgentes, & peculiaris erga Sedem Apostolicam devotionis nomine commen-

datos complectitur, volens eorum conservationi, & propagationi consulere, simulque ex injuncto sive censuris Pastoralis Officii debito providere, ut Regularis in iis disciplina ad Religiosorum salutem, & totius Christiani populi edificationem, utilitatemque, assata recta custodiatur, ac vigeat, & sicuti collapsa est, adjuvante Domino reparetur, constituit, & declarat, se licentiam recipiendi Novitios in singulis approbatis Ordinibus benigne concessurum, ut volentibus & periculis seculi fluctibus ad Religionis portum confugere, facili, tutusque aditus aperiat, dummodo tamen ea, quae pro Regulari vita recte instituenda, tam à Sacrosancta Tridentina Synodo, quam à Praedecessoribus suis Romanis Pontificibus, praecipue vero fel. rec. Clemente VIII. in decretis Generalibus pro Regularium reformatione, necnon Innocentio X. & Alexandro VII. pro Novitiorum receptione, & professorum educatione salubriter constituta sunt; quibus omnibus firmiter inhaerere Sanctitas Sua, eaque quatenus opus sit, confirmat, & renovat (salvis tamen in hac parte singulorum Ordinum statutis, seu aliis ordinationibus ab Apostolica Sede in forma specifica post eadem decreta forsitan approbatis, aut editis) exacte, & inviolate serventur.

§. 2. Quo circa Sacra Congr. ab eodem Sanctissimo Domino nostro super disciplina Regulari specialiter deputata, quae plura haecenus pro recta nonnullorum monasteriorum gubernatione decreta edidit, aliaque in dies editura est, ut omnibus praefata ejusdem Sanctissimi Domini Nostri mens pateat, ac plenius, & celerius innoscatur, de mandato Sanctitatis suae praesentis decreti tenore denuntiat omnium, & singulorum Ordinum Regularium (iis dumtaxat exceptis qui in Praefatis Clementis VIII. decretis excepti reperiuntur, Superioribus tam Generalibus, quam Provincialibus, quocumque nomine nuncupantur, ceterisque, ad quos spectat, ut in unaquaque Provincia per Italiam, & Insulas adjacentes, quam primum deputent aliquos Conventus, quos magis aptos censuerint, vel unum saltem, ibique Auctoritate Apostolica statuam omnimodam observantiam regulare, constitutionem uniuscujusque Ordinis, & decretorum Apostolicorum, praecipue vero exacte vitae communis ad formam eorum decretorum ab omnibus Religiosis, qui in Conventibus, ubi recipiendi Novitii, & Professores educandi sunt, morabuntur, omnino servanda. Postquam vero Regularium observantiam, & signanter quoad exactam vitam communem, cum effectu stabilitam fuisse, tam ex eorumdem Superiorum Generalium, seu Provincialium relatione, quam Praepositi, & Fratrum in praefatis Conventibus degentium jurejurando firmato testimonio, necnon per secretas Informationes, atque etiam, ubi opus fuerit, per Apostolicos Visitatores ad hoc specialiter deputandos eidem Sac. Congr. sufficienter constituerint, tunc Sanctitas sua antedictam licentiam, quam hactenus distulit, Novitios ibi recipiendi, benigne concedet, & locum ad Professores pietate, & literis instituendos usque ad Sacerdotium, vel alias juxta constitutiones, & laudabiles cujusque Ordinis consuetudines in huiusmodi Conventibus, non autem in aliis, nisi fuerint ejusdem Observantiae, destinabit.

§. 3. Quae quidem omnia, quo facilius, efficacius, & durabilis ad praxim deduci valeant, eadem Sac. Congr. Sanctitatis suae auctoritate committit, & in virtute S. Obedientiae praecipit praefatis Superioribus, ad quos pertinet, ut in supradictis Conventibus non collocent nisi Religiosos graves, devotos, exemplares, Regularis observantiae, & puritatis regulae studiosos, orationi praesertim, ac mortificationi, sine quibus non potest religiosa vita consistere, addictos, quique consentiant exacte servare vitam communem, atque inde amoveant eos omnes, qui tam sanctae ordinationi contradicere, seu verbis, aut factis quocumque modo sese opponere audeant.

§. 4. Ut autem tam laudabilis vita institutum, & Regulari professioni maxime proprium, Religiosi aliam

erius arripiant, omnique excusatio inferioribus pracludatur, eadem Sac. Congr. similiter praecipit Superioribus antedictis, ut memoratis Conventibus (improbari etiam, ubi opus fuerit, Apostolica auctoritate) praefici omnino curent viros, non solum disciplinam zelo, sed etiam charitate, & morum suavitatem praeditos, compatiens, Fraternitatis amatores, misericordes, quorum regimini libenter alii se submittant.

§. 5. Studeant vero praecipue, ut ea omnia, quae tam ad victum, & vestitum, quam ad reliquas vitae necessitates pertinent, singulis Religiosis promptissime ministrantur, ac praesertim ægritudinis tempore nihil alicui desit, quod ad sanitatem recuperandam pertineat.

§. 6. Ac propterea Religiosos in iisdem Conventibus morari non patiantur ultra eum numerum, qui ex illorum redditibus, & consuetis communibus, vel etiam singulorum elemosynis, aliisque quibuscumque conventibus pariter in commune conferendis valeat commode sustentari. Eos vero, qui semel praefata observantiae, & exacte vitae communis libenter, ut vere Religiosos viros decet, sese subiecerint, & in ea laudabiliter perseverent, nullatenus à memoratis Conventibus nolentes transferant, nisi forte ad alia monasteria, ubi similis observantia vigeat, isque pariter de omnibus ad vitam necessariis possit commode provideri.

§. 7. Quod si reddituum, & elemosynarum tenuitas huiusmodi exactae vitae communis observantiae alicubi videatur obsistere, liceat eisdem Superioribus, vel per annum contributionem aliorum Conventuum huic necessitati prospicere, vel ab Apostolica Sede per suppressionem alicujus Conventus minus utilis perpetuam, vel ad tempus, vel alia demum ratione, quae opportunior visa fuerit, remedium postulare.

§. 8. Sciant vero Superiores praedicti, eos, qui praefata omnia sedulo, ut par est, adimplere curaverint, specialem à Sanctitate sua, & Sede Apostolica inituros gratiam, & protectionem, atque in iis praecipue, quae ad antedictam observantiam stabilendam pertinent, favorem omnem, & auxilium experturos; qui vero è contra negligentes, aut (quod absit) contumaces reperti fuerint, gravibus poenis proculpe modo, & etiam privationis officiorum, ac perpetuae inhabilitatis ad ea, aut alia in posterum obtinenda puniendos fore; Praefata autem observantiae nihilominus stabilendae per alios Superiores, vel per Commissarios Apostolicos, ubi opus fuerit, etiam extra Religionem assumendos à S. Sede efficaciter providendum, omnemque interim, ubi eadem observantia non vigeat, recipiendi Novitios licentiam denegandam.

§. 9. Porro ne Regularis disciplina, dum in Conventibus jam erectis statuitur, relaxetur in erigendis, & quod una ex parte construitur, simul ex altera destruitur, Sacra Congr. Sanctitatis suae similiter approbante, statuit, atque decernit, nulla in posterum monasteria, collegia, domos, conventus, aut alia Religiosorum virorum loca fundari, erigi, aut quovis modo institui debere, nisi sub expressa obligatione exactae vitae communis ab omnibus Religiosis ibi commorantibus perpetuo, & inviolate servandae; ac propterea nullas deinceps admittendas huiusmodi fundaciones, nisi, praeter alia ad id requisita, prius legitime constituerit adesse annuos redditus, vel certam elemosynarum spem, quibus duodecim saltem Religiosi in exacta vita communis commode valeant sustentari.

§. 10. Non obstantibus circa praemissa omnia, & singula, Ordinationibus Apostolicis, necnon quorumcumque Ordinum statutis, consuetudinibus, privilegiis, ceterisque contrariis quibuscumque.

§. 11. Ad extremum eadem Sacra Congr. Regulares omnes cujuscumque Ordinis, & Instituti sint, Sanctitatis suae verbis serio admonet, & in Domino

obresatur, ut omni mora postposita, sicuti filios obedientiae decet, ad Regulam, quam amplexi sunt, praescriptam vitam instaurant, & componant, decretisque Apostolicis pro aeterna illorum salute editis, sincere, & fideliter pareant, nec ab eorum observantia inanimis interpretationibus, & fallaciis, aut relaxationum praetextibus, ad excusationes in peccatis abducant; sed professionis suae memores, quae se totos Dei obsequio manciparunt, susceptum christianae perfectionis iter, arduum quidem, sed divinae charitatis dulcedine aspersum, abiectionis terrenarum curis, alacriter prosequantur: nimis enim turpe esset, eos ad secularia desideria, quibus semel, aspirante Domino, renuntiaverunt, animum revocare, & obligatam Deo, qui non irridetur, primam fidem irritam facere. Meminerint se ad peculiarem Salvatoris nostri sequelam vocatos, qui cum dives esset, propter nos regem factus est, veterumque illorum fidelium gloriosos imitatores, ac veluti haeredes esse, quorum erat cor unum, & anima una, nec quisquam eorum, quae possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia, dividebatur autem singulis, prout cuique opus erat: ideoque in Regularis vitae, & praecipue sanctae paupertatis, quae est parens quaedam, generatioque virtutum, proposito perseverent, omnem sollicitudinem suam projicientes in eum, cuius oculi in pauperes respiciunt, qui non derelinquit sperantes in se, sed dives in Misericordia centuplum, & vitam aeternam propter nomen suum relinquuntibus omnia reponit. Dat. Romae die 18. Julii 1605.

G. Card. Carpinus. — Loco. — Sigilli. — Carolus Augustinus Fabronius Sac. Cong. Secret.

Unde ad valorem professionis requiritur, quod tam Novitiatu, quam professio fiat in solis dictis Conventibus designatis; Vide verb. Professio Regularis n. 19.

Hinc Regulares nequeunt amplius novos Conventus erigere, seu fundare, nisi prius coram Sacra Congregatione disciplina Regularis justificaverint reddituum, aut elemosynarum sufficientiam pro observanda exacta vita communis, ut expresse statuit, ac renovavit ead. Sac. Cong. disciplina regularis, prout sequitur.

Procuratoribus Generalibus Ordinum Regularium renovatur prohibitio alias injuncta non procedendi ad fundationem novorum Conventuum, & Monasteriorum intra Italiam, & Insulas adjacentes, nisi prius Conventus, vel Monasterii fundandi reddituum sufficientia, & substantia coram Sacra Cong. justificata fuerit.

La Sacra Congregazione sopra la disciplina Regolare destinata dalla sant. mem. d' Innoc. XII. à stabilire specialmente l' osservanza della vita comune, ed à riconoscere la sufficienza, è sussistenza dell' entrate per essa necessarie nelle fondazioni, che avessero avute à farsi di nuovo di monasteri, è conventi dentro l' Italia, ed isole adjacenti, vedendo che non viene in questa parte tanto essenziale in verun conto adempita la mente di sì zelante Pontefice, non obstanti le pene di privazione di voce attiva, è passiva, sospensione delle cariche, è dignità, è perpetua inhabilità ad esse a' Superiori pro tempore, a' quali appartiene simile incombenza; è venuta in determinazione di ridurre à memoria di tutti i Superiori Regolari l' obbligo preciso, che loro ne corre, avvertendo di non tentate in avvenire fondazione alcuna, senza prima giustificare, come sopra, la sufficienza, è sussistenza dell' entrate avanti la stessa Congregazione sotto le pene enunciate, ed altre ad arbitrio della medesima.

Monsignor de Vico Segretario, che ne avanza la notizia al P. Procuratore Generale &c. per la dovuta esecuzione in ciò, che concerne l' interesse della sua Religione, starà attendendo il riscontro in scriptis della ricevuta del presente Viglietto, unitamente colla nota dell' ultima fondazione, specificando il giorno, mese, ed anno, in che seguita, è di cuore lo riverisimo. Di Casa questa di 23. Febbrajo 1717.

Etiam



- 15 Etiam in monasteriis Monialium, in quibus non observetur vita communis, non debent recipi puellae neque ad habitum, neque ad educationem, licet haberent licentiam Sacrae Cong. quae non deroget in specie decreto Generali; Sac. Congr. in *Placentina*. 4. Septembr. 1603. in *Pisana*. 6. Octobris ejusdem anni, in *Ferdellana*. 18. Maii 1616. in *Messana*. 17. Novembris ejusdem anni, in *Caputaquena*. 2. Junii 1628. apud Nicol. in *Floscul. verb.* Vita communis n. 5.
- 16 Hinc Sac. Congr. Episcop. & Regul. in *Neapolitana*. 26. Maii 1602. statuit, quod monasteriis renuentibus reformationem acceptare non concedatur licentia recipiendi puellas ad habitum. Item nec admittendi ad professionem eas, quae se ad illam nolunt obligare; Ead. Sac. Congr. Episcop. & Regul. in *Neapolitana*. 8. Aprilis 1603.
- 17 In his monasteriis, quae partim illam reformationem recipiunt, & partim non, recipi non debent nisi illae, quae se volunt reformationi subicere; Ead. Sac. Congr. Episcop. 17. Aprilis 1602. Nec reformatio est credenda statim, sed probanda diu, antequam detur licentia vestiendi; Ead. Sac. Congr. Episcop. in *Capuana*. 17. Novemb. 1602. & 4. Maii 1604. & consimiliter saepe saepius alibi. Quae tamen professionem emisissent, antequam introduceretur reformatio, hortari debent ad illam acceptandam, sed non cogi; Ead. Sac. Congr. Episcop. & Regul. in *Neapolitana*. 5. Martii 1602. apud Nicol. in *Floscul. verb.* Reformatio num. 10. Vide ad rem verb. Moniales art. 2. a num. 67. ad 70. inclusive, & verb. Professio n. 84.
- 18 Vita communis introduci debet in omnibus, & non in victu solum; Sac. Congr. Episcop. & Regul. in *Panormitana*. 5. Novemb. 1603. Unde non solum dotes, canones, & elemosynae cujuscumque particularis Monialis, sed etiam opera, & omnia alia acquisita poni debent in communi; Ead. Sac. Congr. Episcop. & Regul. in *Parmen.* 11. Augusti 1628.
- 19 Nec debet permitti repartimentum tritici, olei, & pecuniae inter Moniales, uti vitae communis de directo repugnans; Ead. Sac. Congr. Episcop. & Regul. in *Brundisina*. 21. Octob. 1616. Et multo minus consignerari Monialibus particularibus fructus praediorum; Ead. Sac. Congr. Episcoporum & Regul. in *Lycien.* 1. Septembr. 1651.
- 20 Immo neque debet permitti Moniali, aut Regulari vitalitium, seu livellum, vel legatum ipsi relictum, seu constitutum sub conditione, ut nihil acquiratur monasterio, sed totum cedat, & erogetur pro suis indigentibus, seu aliis usibus piis sibi benevisis, appositae poena caducitatis in casu contraventionis; Sic Bartolus in l. Lucius Titius §. Tres heredes num. 3. ff. Ad Trebell. Tabia in *Ausertin.* Ingressi vers. Ipso ingressu cap. 3. num. ult. Cod. de SS. Eccles. Galanet. de condition. & demonstrat. part. 2. cap. 5. quest. 11. num. 8. Card. Petra tom. 4. comment. ad const. 5. Benedicte XII. num. 50. & alii. Et ratio est, quia talis conditio, ut nihil ex vitalitio, seu legato acquiratur monasterio, est contraria sacris canonibus expresse statutibus, quod quidquid acquirit Monachus, acquirit monasterio; cap. Statutum 1. caus. 18. quest. 1. cap. Abbates 16. caus. 18. quest. 2. cap. Quia ingredientibus 7. caus. 19. quest. 3. cap. In praesentia 8. de probat. cum similibus. Item est contraria dispositioni Concil. Trid. sess. 25. de Regularibus. cap. 1. & 2. & Decretis Clement. VIII. pro reformatione. Regul. innovatis a Sacra Cong. Concilii jussu Urbani VIII. in *Decret. de Apostat. & Ejectis*, adeoque est turpis, & de Jure impossibilis, adeoque poena caducitatis ipsi appositae vitatur, quemadmodum vitatur ipsa conditio, sique tamquam appositae actui a legibus interdictio attendenda non est, etiam neglecto Testatoris praeecepto; l. unica in fine Cod. De his, quae panno nomine, cap. Tua 17. de Testamentis.
- 21 Sic etiam sentire visa est Sac. Congr. Concilii in *Leodien.* annua praestationis 6. Junii 1682. in qua Testator legaverat monasterio Monialium pecuniam investendam sub conditione, ut tres Moniales ejus filiae percipere possent, earum vita durante, tercentum florenos

aureos pro suis necessitatibus, apponendo poenam caducitatis in casu contraventionis: Cum enim Moniales cuperent acceptare legatum, ac vererentur, ne permittendo particulare legatum factum tribus Monialibus filiis testatoris vulneraretur satui vitae communis, & ideo supplicasset praefatis tribus Monialibus permitti retentionem, & usum annua praestationis, juxta mentem testatoris, aut alio modo consuli indemnitati monasterii, Sac. Congr. Concil. respondit: Monasterium posse acceptare legatum, & quoad legatum particulare servetur decretum san. mem. Clementis VIII.

Idem clare colligitur ex alia resolutione ejusdem Sac. Congr. Concil. in *Mantuan. Administrationis*, in qua Novitius professionem emissurus testamentum condidit favore tertii sibi reservans annuum praestationem erogandam, & disponendam in sui servitium absque eo quod Jus in favorem alicujus acquiri posset: cum autem ex dicta praestatione acquisivisset de consensu Superiorum praedia, & census, ejusque Superiores intendere incorporare conventui annuam praestationem, & de administratis rationem exigere, supplicavit declarari, l. An dicta praestatio annua reservata, seu fructus praedii ob morositatem heredis loco pecuniarum subrogati spectent libere ad Oratorem? II. An de redditibus perceptis ex bonis postea acquisitis teneatur rationem reddere? Sac. Congr. die 28. Nov. 1706. respondit Ad I. Negative. Ad II. Affirmative.

Consimiliter habetur ex resolutione Sacrae Congreg. Episcop. & Regul. in *Neapolitana*, in qua indultum ab ipsa concessum, quod comperebatur laevum vitae communis, fuit ab eadem Sac. Congr. revocatum: cum enim duae Moniales monasterii SS. Trinitatis Neapolis obtinuerant a Sac. Congr. Episcop. & Regul. Indultum, ut possent accipere annuum praestationem Scutor. 200. a parentibus solvi promissam, ita tamen, ut Superiorissae, seu Depositaria traderetur eroganda ab ipsis Monialibus pro earum indigentibus, sive aliis usibus piis sibi benevisis; Reclamantibus contra Indultum reliquis Monialibus, uti laevum vitae communis, & constitutionum monasterii, ex eo quod annua praestatio eroganda esset per Abbatissam in usus a praefatis duabus Monialibus destinandos; Sac. Congr. die 7. April. 1707. rescipit: Servandas esse omnino constitutiones, non obstante Indulto. Sic expresse supradictas tres resolutiones refert, prout jacent, Emin. Petra loc. cit. num. 34. & 51.

Alia ad rem, Vide verb. Legatum, verb. Moniales art. 2. verb. Professio, verb. Regulares, & verb. Vocum art. 2. a num. 43.

VITIUM. Vide verb. Virtus a num. 13. ad 95.

## VITRICUS.

Vitricus quis sit, Vide verb. Affinitas sub num. 16. 30. Vitricus absque ulla dispensatione ducere potest in uxorem eam, quae fuit uxor sui privigni; Sac. Congr. Concil. in *Bojanen.* 8. Junii 1720. & 8. Martii 1721. ut refert Ursaya in 2. miscellan. sacro, & profano lit. V. n. 89. & tit. 4. part. 2. discept. 19. §. 1. a n. 186.

VIVAE VOCIS ORACULA. Vide verb. Oracula vivae vocis.

UNCTIO EXTREMA. Vide verb. Extrema Unctio.

## UNIO BENEFICIORUM, SEU ECCLESIARUM.

### SUMMARIUM.

- 1 Unio Beneficiorum, seu Ecclesiarum quid sit.
- 2 Unio praedicta sit possimum tribus modis.
- 3 Assignatur primus modus.
- 4 Assignatur secundus modus.
- 5 Assignatur tertius modus.

## UNIO BENEFICIORUM, SEU ECCLESIARUM.

- 6 Unio Beneficiorum est duplex, alia perpetua, & alia temporalis, & quae sit utraque.
- 7 Unio Episcopatus ad solum pertinet Papam.
- 8 Papa non solum episcopatus, sed etiam quaecumque alia beneficia unire potest.
- 9 Episcopus potest ex legitimis causis unire beneficia, & ecclesias suae diocesis.
- 10 Archiepiscopus, seu Metropolitanus potest quidem unire beneficia suae diocesis: At vero nequit unire beneficia diocesium suorum Suffraganeorum.
- 11 Capitulum Sede vacante potest unire ea beneficia, quae potest Episcopus; dummodo per eam unionem Jurisdictioni episcopali nihil detrahatur.
- 12 Legatus a Latere in provincia sibi concessita potest unire beneficia dictae provinciae suae Legationis absque tamen praedicti Episcopi.
- 13 Vicarius Generalis Episcopi non potest beneficia unire, nisi specialiter sibi ab Episcopo committantur.
- 14 Abbat, alique Praelati Episcopo inferiores habentes Ecclesias sibi plene subjectas, an possint beneficia unire, ad num. 16.
- 17 Ad faciendam beneficiorum unionem praeter legitimam facultatem requiruntur tres praeteritae conditiones.
- 18 Prima conditio est causa justa, praevia cognitione de ejus veritate.
- 19 Ipsa justa causa unendi beneficia est Ecclesiae necessitas, vel ipsius utilitas.
- 20 Ecclesia necessitas quando censetur intervenire.
- 21 Si unio beneficiorum fiat sine causa, vel ex causa falsa, est nulla.
- 22 Secunda conditio requisita ad legitimam beneficiorum unionem, est, quod citentur omnes interesse habentes, eorumque consensus requiratur.
- 23 Unde si Ecclesia sit subjecta Abbat, aut alii inferiori Praelato, non potest Episcopus eam unire absque illius consilio, & assensu.
- 24 Item si beneficium unendum pertineat ad Collatores, vel Electores Episcopo inferiores, etiam istorum consensus requiritur.
- 25 Item si beneficium unendum sit de Jurepatronatus alicujus, requiritur consensus Patroni.
- 26 Talis consensus, quomodo de Jure commun. requiratur, sive Patronus sit Laicus, sive Ecclesiasticus, non requiritur tamen de novo Jure, si sit Patronus Ecclesiasticus.
- 27 Nec requiritur ad talem unionem faciendam consensus Rectoris Ecclesiae, vel ea vacante, consensus defensoris ejusdem.
- 28 Si Rector praedictus, aut defensor sponte compareat iustam allegando causam contra unionem, est audiendus.
- 29 Neque requiritur consensus plebis, quomodo si sponte compareat, sit ut supra audienda.
- 30 Tertia conditio requisita ad legitimam unionem faciendam per Episcopum, est consensus Capituli.
- 31 Si beneficium unendum spectet ad collationem Praelati inferioris, requiritur ultra consentum Capituli Cathedralis, etiam consensus dicti Praelati, & sui inferioris Capituli.
- 32 Item si beneficium unendum spectet aliquam Collegiatam, requiritur ultra consentum Capituli Cathedralis, etiam consensus Capituli ipsius Collegiate.
- 33 Item si beneficium unendum sit de Jurepatronatus, ultra consentum Patronorum requiritur etiam consensus Capituli.
- 34 Item requiritur consensus Capituli etiam pro unione beneficiorum simplicium faciendi dignitatibus, aut Praebendis ipsius Ecclesiae Cathedralis.
- 35 Si unio beneficiorum sit faciendae Seminario, ultra consentum Capituli, requiritur etiam consilium quatuor Deputatorum, duorum de Capitulo, & duorum de Clero.
- 36 Si Capitulum, & alii, quorum interest, sine justa causa consentum praestare nolint, possunt ad id compelli per Superiorem.
- 37 Immo quando evidens causa necessitatis subest, potest talis unio fieri etiam ipsi invitati.

FERRAR. BIBLIOTHECA. TOM. IX.

- 38 Non requiritur tamen, quod talis consensus necessario interveniat ante, vel in ipsa unione, sed sufficit, etiamsi interveniat post unionem; dummodo ante sit non fuerit incipita.
- 39 Immo talis unio fieri potest sine requisito tali consensu, si adsit ad id alicubi consuetudo legitime praescripta.
- 40 Ubi adest consuetudo requirendi talem consentum, si unio fiat sine ipso, est nulla.
- 41 Episcopus concurrentibus tribus ad conditionibus potest unire beneficia suae diocesis.
- 42 Episcopus non solum potest unire Ecclesiam Secularem Seculari, sed etiam potest unire Religioni alicui Ecclesiam, seu beneficium suae diocesis.
- 43 Item potest Episcopus unire beneficium devotum ad Papam ob non factam collationem tempore debito.
- 44 Item potest Episcopus unire beneficia Papae reservata; dummodo id faciat ante ipsorum vacationem.
- 45 Non autem potest ea unire post ipsorum vacationem, & si uniat, unio erit invalida, & proiit a Sede Apostolica mitti debent in possessionem.
- 46 Neque potest unire beneficia perpetuo reservata.
- 47 Neque potest unire beneficia quaecumque etiam simplicia ad tempus, seu ad vitam Beneficiorum.
- 48 Neque unire potest beneficia exempta a sua Jurisdictione.
- 49 Neque unire potest beneficia suae diocesis beneficiis, monasteriis, & ecclesiis alterius diocesis.
- 50 Neque unire potest omnia beneficia quomodo simplicia suae diocesis, sed tantum aliquot.
- 51 Neque unire potest beneficia Curata monasteriis, Abbatibus, Dignitatibus, Praebendis Cathedralis, vel Collegiate, Beneficiis simplicibus, Hospitalibus, aut Militiis.
- 52 Et parochialis unio est ita prohibita a Concilio, ut neque aliqua pars ejus fructuum uniri possit.
- 53 Potest immo Episcopus unire beneficia Curata cum aliis Beneficiis Curatis, item non Curata cum ipsis Curatis.
- 54 Non potest Episcopus unire parochialem Mensam Capitulari.
- 55 Immo mensa Capitulari neque unire potest beneficia simplicia.
- 56 Et hoc quomodo in Cathedrali, & Collegiate nulla sint distinctae Praebendae, sed dumtaxat mensa communis Capituli.
- 57 Potest tamen Episcopus cum consensu Capituli unire Curam dignitati illius.
- 58 Item potest Episcopus Canonici tenues suppressere, & eorum fructus aliis Canonici, sive Praebendis, vel Distributionibus ejusdem Ecclesiae unire, dummodo remaneant adhuc tot Canonici, qui commode divino cultui satisficiant.
- 59 Non potest autem unire Dignitates.
- 60 Neque potest unire beneficia capellanis etiam Cathedralis, quae habent redditus tenues.
- 61 Neque potest unire beneficia de Jurepatronatus, seu spectantia ad inferiores Collatores, & Electores.
- 62 Neque potest regulariter unire beneficia libera collationis Beneficiis de Jurepatronatus.
- 63 Exceptis aliquibus casibus, qui assignantur.
- 64 Episcopus non potest unire beneficia dignitatis, quae in Ecclesia Cathedrali, vel Collegiate non habet vocem in Capitulo, nec redditus ex mensa Capitulari, licet deserviat in choro.
- 65 Episcopus potest unire Seminario aliquot beneficia simplicia cujuscumque qualitatis & dignitatis fuerint, etiamsi essent reservata, vel affecta sine tamen cultus divini, & illa obtinentium praedictio.
- 66 Non potest tamen ipsi Seminario unire omnia simplicia Beneficia.
- 67 Nec potest Seminario unire simplicia beneficia ad collationem inferiorum spectantia, neque Canonici, neque beneficia reservata post ipsorum vacationem.
- 68 Nec potest unire Seminario Canonici Collegiatarum, quomodo ex consuetudine non obligent ad residendum.

Et

Nec